



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Petri vetustissima potentissimaq[ue] intra Salisburgensis urbis muros  
sita Abbatia, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

*Mille & quingenta effluxerunt tempora grata  
Partus virginei atq; triginta duo,  
Dum superis placuit, pastor decessit amandus,  
Nutantem qui sedes struxerat ipse suam.  
Annos bis septem Abbas fuit hic Nicolaus,  
Sanctæ Adelgundis villa paterna fuit.  
Sideras sedes teneat nunc spiritus ejus,  
Omnes optamus; maxime presta Deus.*

31. *Henricus* Trajectensis successit Nicolao. Præfuit 14. annis. Decessit ex hac mortali vita anno Domini 1545.

32. *Valentinus de Castelleto*, Gallus natione, præfuit annis tribus & aliquot mensibus. Exiit hominem & ad aliam patriam ex mortali emigravit anno 1549.

33. *Amandus* Leodiensis, vir doctus, statura corporis medicæ, eligitur anno Domini 1549. Præest hoc adhuc currente Jubileo.

Est in hac vicinia ad dimidium scilicet milliare à S. Naboris oppido, & coenobio S. Martini Glandariensis in Villalonga aliud & magnificum sane monasterium ordinis D. Benedicti, quod fundatum legitur à Franciæ Regibus, Digno, Bodagislo & Ondone. Habet hoc tempore Abbatem Sebastianum, natione Gallicum: amplius enim de hoc coenobio nihil habeo.

*S. Martini Coenobium Longivillariense.*

**S** PETRI vetustissima potentissimaq; intra Salisburgensis urbis muros sita Abbatia, ordinis D. Benedicti, ex qua, tanquam ex equo Trojano, plurimi egregii & excellentes viri ad gubernandos varios Germaniæ Episcopatus prodierunt, inchoata & fundata legitur anno Christi 580. unà cum ipso Episcopatu Salisburgensi, à S. Rudoberto, ex nobili prosapia Franciæ Regum ac Scotiæ Ducum oriundo: auxiliis tamen & munificentia Theodoni, inlyti Bavarorum Ducis, quem sanctus Dei vir Rudobertus, ex Wormatiensi Ecclesia & Episcopatu ejectus & in Bavaria circumquaq; docens, Ratisbonæ in Christianismo instituit, & cum ipsius optimatibus sacro regenerationis lavacro abluit.

*Theodo Bojorum Dux sit Christianus.*



Ibi cum liberam prædicandi Christi potestatem nactus esset vir Dei, perrexit ad Noricos, & per omnia castella & oppida Christum intrepide concionatus est. Venit vero & Salisburgum (quæ urbs paulo ante solotenus penè ab Attila & Hunnis everfa erat) hanc vepribus & virgultis jam coopertam, situ & ruinis deformatam, Theodonis venia & pace sibi concessam ac donatam, primus de novo emundavit & inaurare cœpit, construens initio monasterium hoc S. Petri, in quo ipse etiam primum sedem suam Episcopalem habens collectos discipulos fideliter docebat. Præfuit vero & Episcopatu & Abbatia huic laudabiliter, utiliter & pie annis pene 44. Obiit anno Christi 623. ipsa Dominicâ Resurrectionis Christi. Sepelitur in Ecclesia S. Petri honorifice, præsentibus Romano Pontificatu D. Honorio: Romano vero Imperio D. Heraclio.

*Salisburgum eruinis restauratur.*

2. *Beatus Vitalis* successit S. Ruperto in utraq; gubernatione, Episcopatus videlicet & Abbatia, vir vitæ innocentia & sanctimonia eximie clarus. Præfuit annis 23. Obiit anno Domini 646. Sepelitur in cœnobio S. Petri.

3. *S. Ansologus* subrogatur Domino Vitali. Sedit ad utriusque Ecclesie gubernationem, Episcopus videlicet & congregatorum discipulorum fidelis magister annis 20. Sepelitur ad S. Petrum in hoc ipso suo cœnobio anno Domini 666.

4. *Savolus* eligitur in Episcopum Salisburgensem & Abbatem S. Petri anno Domini 666. Præfuit utriq; dignitati laudabiliter 14. annis. Decessit ex hac lachrymarum valle ad æternæ vitæ consortium anno Domini 680. Sepelitur in monasterio S. Petri.

5. *Ezius* vel *Essius* & Abbatia huic & Episcopatu Salisburgensi præficitur anno 680. Præfedit utriq; loco fideliter & laudabiliter annis 23. Obiit anno Domini 703. Sepelitur cum antecessoribus suis in Abbatia S. Petri Basilica.

6. *Flobargisius* successit Domino Ezio. Præfuit utriq; dignitati & loco, commissæ plebis Episcopus & collectæ scholæ Abbas annis 37. Valedixit dignitatibus mundanis & vitæ mortaliano Dñi 740. Humatur prope antecessores apud S. Petrum.

7. *Joan-*



7. *Joannes*, vir & eruditione & morum sanctitate insignis, à S. Bonifacio Apostolicæ sedis legato constituitur in locum defuncti Flobargisii, & Episcopus & Abbas designatus anno 740. præfuit annis 14. Obiit anno 754. Sepelitur apud S. Petrum.

8. *S. Virgilius*, ex Hiberniæ nobili gente & familia prognatus, vir pietate & doctrina clarus, præficitur & Episcopatus & Abbatiae S. Petri ab Odilone, præpotenti Bavarorum Duce, anno 754. Præfuit Episcopatus 30. annis, Abbatiae vero tantum 20. substituens sibi in Abbatiae gubernatione pium & doctum quendam monachum, Bertricum. Virgilius anno Domini 764. videns fideles Dei in Juvaviensi Episcopatu & ditione valde crevisse, pluribus templis opus esse ratus, aliam sedem Episcopalem erexit, & insignem Basilicam novam in honorem S. Ruperti, primi Salisburgensium Doctoris & Antistitis, construxit, quam anno Domini 774. absolutam ipse consecravit, & in eam S. Rupertum, duosq; ejus facellanos, sanctos viros, Gisillarium & Chulnaldum, ex æde S. Petri unâ cum Episcopali sede transtulit.

Conditur  
Basilica  
S. Ruperti,  
&  
transfer-  
tur sedes  
Episcopa-  
lis.

9. *Bertricus* eligitur in Abbatem S. Petri ab ipso Episcopo S. Virgilio anno Domini 774. Præfuit Abbatiae 11. annis, Episcopatus vero etiam, post rebus humanis exemptum Virgilium, annotantum uno, & emigravit ex hoc seculo anno Domini 785. Sepelitur apud D. Petrum.

10. *Annilonius* successit Bertrico, sed tantum in Abbatiae gubernatione anno Domini 785. Præfuit 36. annis laudabiliter: & mortuo primo Salisburgensis ecclesiae cathedralis Archiepiscopo Arnone, eidem unanimibus & Cleri & populi suffragiis subrogatur & Archiepiscopus designatur. Cum vero sedisset ad Episcopatus clavum per menses tantum 8. decessit ex hac vita lugubri ad eam, quæ omni tristitia & dolore vacat, anno Domini 821. Sepelitur in S. Ruperti crypta. Huic in Episcopatus gubernatione successit Adelramus, prius archidiaconus summæ ecclesiae: sed quis in Abbatia S. Petri, id incertum est. Nam de hujus cenobii præsidibus & gubernatoribus nihil amplius in fastos relatum invenitur usq; ad annum Domini 987. Tum enim *Titus* quidam, S. Ruperti præpositus, monachus ad S. Petrum factus,



eodemq; anno Abbatia huic præfectus esse legitur, ubi cum 38. annis laudabiliter præfuisset, commutavit secularem & momentaneam vitam cum cœlesti ac meliore anno Domini 1025.

12. *Maseinus* successit Tito in Abbatia: quamdiu vero præfuerit, nescitur.

13. *Reimbar dus* præfuit anno Domini 1074. quo ex ejus cœnobio Arnoldus quidam monachus evocatus est ad gubernandam Abbatiam Admontensem, in Styria sitam, à S. Gebhardo, Salisburgensi Archiepiscopo fundatam. Obiit Reimbar dus Abbas anno Christianæ salutis 1077.

Admontensis Abbatia.

14. *Imbertus* successit Reimbar do. Præfuit tantum 2. annis, & afflicta valetudine coactus resignavit Abbatiam his iterum, à quorum manibus eam prius acceperat, anno Domini 1079.

Inferius Altachium.

15. *Thiemo* monachus, vir honestæ vitæ ac multarum scientiarum laude clarus ac celebris, ex inferioris Altachii celebri apud Bavaros Abbatia evocatus, assumitur in locum Imberti resignantis anno supra scripto. Præfuit XI. annis & anno Domini 1090. ad Archiepiscopatum Salisburgensem gubernandum vocatur, ubi ab Urbano Papa palliatus, cum iterum laudabiliter præfuisset XI. annis, profectus ad terram Sanctam, prope Corozaim civitatem à Saracenis captus, post omnium membrorum detractionem trucidatus, martyr Dei factus est anno Domini 1102.

Archiepiscopus Salisburgensis trucidatur.

16. *Albertus*, monachus S. Petri, à Thiemone in Archiepiscopum electo, Abbatia præficitur: sed quo id anno factum sit, aut quamdiu is federit ad cœnobii clavum, ignoratur. Obiit vero anno 1104.

17. *Weselinus* subrogatur Alberto anno 1104. Præfuit 6. annis. Obiit anno Domini 1110.

18. *Reimbertus*, multarum rerum & literarum experientia maximus, electus in Abbatem post Weselinum præfuit similiter 6. annis, & evocatur anno salutis 1116. ad Brixienis Episcopatus gubernationem. De quo plura leges in opere nostro Episcopatum.

19. *Wel-*



19. *Waldericus*, vir bonus & honestus, successit Reimberto anno 1117. Præfuit laudabiliter & præclare annis 30. Obiit anno 1147. Sepelitur in Ecclesia S. Petri.

20. *Henricus* venerabilis pater subrogatur Walderico. Præfuit 20. annis prudentissime ac utilissime, ac anno Domini 1167. evocatus ex Abbatia, defuncto Romano, Gurczeni Episcopo substituitur.

21. *Henricus* secundus eligitur, discedente Henrico primo ad Gurcensem Episcopatum. Præfuit annis 21. Reddidit Abbatiam conventui valetudine adversa impeditus anno 1188. decima tertia Kalend. Augusti.

22. *Widpoto* eligitur, præsentem Archiepiscopo Adalberto, qui liberrimam electionem approbavit, & quarto die post electionem in domo S. Petri eundem consecravit. Præfuit 5. annis. Obiit anno 1193. sexta Idum Octobris.

23. *Pilegrinus* eligitur, eodem Archiepiscopo præsentem & liberam electionem approbante, anno Domini 1193. à quo etiam consecratur in ipsis Kalendis Novembribus. Præfuit 2. annis, quibus cum plurimum premeretur ab eodem Alberto Archiepiscopo, resignavit Abbatiam anno Christi 1195.

24. *Conradus*, Abbas de Seidenstetten, præficitur Abbatiae etiam S. Petri anno 1196. sed & ipse ab Archiepiscopo Alberto plurimum vexatus, mox Pilegrino antecessori Abbatiam reddidit, sed ad pristinum locum suum recepit. Pilegrinus paucis annis post obiit.

*Seiden-  
stetten  
Cænob.*

25. *Simon* Pilegrino defuncto anno Domini 1199. subrogatur unanimi conventualium S. Petri consensu. Præfuit is laudabiliter 32. annis. Decessit ex hac mortali vita anno 1231.

26. *Magister Bertholdus*, Abbas prius Admontensis, præficitur & S. Petri huic monasterio, post sublatum è medio Simonem. Præfuit annis undecim, & obiit anno 1242.

27. *Rickherus*, ex Priore S. Petri factus Abbas anno præscripto, sedit ad clavum annis 17. Decessit anno gratiæ per Christum restitutiæ 1259.

28. *Albertus*, Prior S. Petri, designatur Abbas post mortuum Rigk-

Rigk-



Rigkherum. Tenuit Abbatiae temonem per triennium tantum, & obiit anno Domini 1262.

29. *Chuno* eligitur mox in Alberti successorem. Praesidet 5 annis, & resignat anno Christi 1267.

30. *Simon*, monachus S. Petri, ejusdem loci designatur Abbas anno 1267. sed & ipse mox difficilis & plenae contentionibus gubernationis pertæsus, anno 1270. magistratu sese abdicavit.

31. *Diethmarus* eligitur anno 1270. Praefuit annis 18. & ambulavit viam universae carnis anno Domini 1288.

32. *Engelbertus* successit Diethmaro. Praefuit utilissime, admodum beneficis monasterio, sed quamdiu, id in factos non est relatum.

33. *Rudbertus* Engelberto substituitur. Decessit ex hac vita anno salutis 1314. septima Iduum Julii.

34. *Conradus* praefuit annis 32. Obiit anno Christi 1346.

35. *Otho* eligitur anno, quo decessit Conradus. Sedit in Abbatia annis 18. Obiit anno gratiae 1364.

36. *Joannes Rossius* successit Othoni. Sedit ad clavum Abbatiae annis undecim. Decessit anno salutis 1375.

37. *Otho Kallenbergerus* eligitur canonicè & concorditer anno 1375. Praefuit feliciter annis 38. Obiit anno Christi 1414.

38. *Leonhardus* subrogatur Othoni. Praefuit 2. saltem annis. Obiit anno 1416. Sepelitur in sacello S. Viti.

39. *Udalricus Blanckenseelser* praefuit annis 4. Decessit ex hac vita anno 1420.

40. *Joannes Notzenbuserus* canonica electione Ulrico successit. Praefuit annis septem. Obiit anno Domini 1427.

41. *Georgius Ballerus* praefuit annis 8. Exiit hominem anno Verbi Incarnati 1435.

42. *Erhardus de Lamnitz* ex Priore S. Petri Abbas designatur anno Domini 1435. Praefuit paucis mensibus, & eodem anno ex hoc seculo emigravit.

43. *Petrus Klugheimerus* concordibus omnium Conventualium suffragiis eligitur eodem anno (quo duo antecessores obierunt) ipsa vero die conceptionis B. Mariae Virginis. Praefuit laudabiliter 31. annis. Obiit anno 1466.

44. Ru-



44. *Rudopertus Keutzelius* successit Petro. Præfuit 29. annis. Obiit anno 1495.

45. *Virgilius*, prior S. Petri, eligitur in ejusdem loci Abbatem anno Domini 1495. Præfuit annis sex tantum & paucis mensibus: decessit anno Christianorum 1502.

46. *Wolfgangus de Roschingen* successit octavo Kalendarum Jani ejusdem anni, quo obiit antecessor. Præfuit 16. annis. Obiit anno 1518.

47. *Simon*, ex custode factus Abbas, præfuit annis 4. Exautoratur iterum à Matthæo Langio, Cardinale & Archiepiscopo Salisburgensi, circa festum S. Jacobi anno Christi 1522.

48. *Joannes Staupicius*, Eremitarum domus Augustinianæ præfectus, doctor sacrarum scripturarum eximius & Matthæi Cardinalis consiliarius, eligitur concordibus fratrum S. Petri suffragiis anno 1522. Confirmatur à Cardinale Archiepiscopo. Præfuit 2. saltem annis. Obiit anno Dominicæ Incarnationis 1524. ipsa die Innocentum.

49. *Chilianus* ex Priore Abbas designatur in ipsa Innocentum octava anni 1525. Præfuit 10. annis. Decessit ex hoc lugubri seculo anno redempti orbis 1535.

50. *Georgius Oeller* successit Chiliano. Præfuit undecim tantum diebus, & pleuritide è medio sublatus est.

51. *Egidius* ex custode templi Abbas designatur anno Christi 1535. Præsudet laudabiliter hoc adhuc currente Jubileo, sub Archiepiscopo Salisburgensi quinquagesimo octavo, Arionisto, indycto ac illustrissimo Bavarorum Duce.

*Quem precor, annales studiosus ut augeat istos:*

*Plurima nam dubio prisca habet ille procul.*

*Hinc laudem, decus atq; sibi nomenq; parabit:*

*Successoribus hic gratus eritq; labor.*



**S** STEPHANI nobili genere natarum, non equidem monacharum, sed Canonistarum, ab omni jugo & professione liberarum, collegium potius, quàm cœnobium, intra potentissimæ urbis Augustanæ moenia versus septentriones penè, eo ipso

Ppp

ipso